

# Positiones de honoribus a bono cive capessendis

Autor(en): [s.n.]

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - (1750)

Heft 19

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394681>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

## POSITIONES

de honoribus a bono cive capeffendis.

### I.

**C**ivitas vocatur multitudo hominum in unam eandemque societatem collectorum, qui certis legibus, tamquam vinculis, coërentur, & inter se devinciuntur.

### II.

Homines, qui in eadem societate sunt, iisdemque legibus constringuntur, Cives appellari solent.

### III.

Civium alii aliis præfunt, alii parendi leges accipiunt; vel, quod idem est, in unaquaque civitate sunt qui regunt alios, sunt qui reguntur ab aliis.

### IV.

Inter eos qui regunt alios, plurimum interest. Sunt enim civitatum rectores vel boni, vel mali.

### V.

Bonos Rectores voco, qui reipublicæ procuracionem non ad suam utilitatem gerunt, sed ad eorum, qui commissi sunt.

### VI.

Malos contra rectores voco, qui non civium commodis inserviunt, sed id agunt, ut dominandi, luxuriandi, habendi cupiditates expleant, & novos subinde sinus ac varia prædandi vocabula exquirunt, quasi aureæ messi præfecti; quales Varro descripsit:

Qui

Qui pote, plus urget: pisces ut sæpe minutos  
Magnus comest, ut aves enecat accipiter.

VII.

Inter eos quoque, qui reguntur ab aliis, ingens discrimen est: quippe alii boni, alii mali cives sunt.

VIII.

Bonum appello Civem, non qui ab omni crimine vacat, [tales enim non in hac mortalitate, sed in cœlesti civitate quærendi sunt] sed qui pietatis justitiæque amori ex animo deditus, rerumque civilium scientia præditus, non tam suam, quam publicam utilitatem, ex qua suam pendere retur, omnibus viribus curat.

IX.

E contrario malus civis dici meretur, qui publicæ salutis incuriosus, suis tantum cupiditatibus litat, privatæque quieti consulit, parum curans, an aliis bene, an male sit.

X.

In variis illis civitatibus, quibus terræ coloni distinguuntur, summa potestas vel penes unum, vel penes plures, vel penes omnes est.

XI.

In patria nostra plures ad reipublicæ clavum sedent, qui de summa rerum deliberant.

XII.

Hic quæritur: An bono civi decorum licitumve sit, honores magistratusque neque petitos, neque exambitos, sed ultro inopinanti delatos detrectare, sive bene, sive male respública huc us-

que administrata sit? Ego indecorum, illicitumque esse existimo, sequentibus inductus rationibus.

XIII.

Quo plures boni rectores civitatem temperant, hoc felicius cuncta geruntur; neque fieri potest, quin ejusmodi civitas læta indies incrementa capiat.

XIV.

Uniuscujusque boni civis permagni refert, non venerari modo Deum, sed re ipsa, quantum pote, operam dare, ut navis communis, qua cum ceteris vehitur, quam plurimos peritos, catos, cautos, cordatosque gubernatores habeat.

XV.

Vel ob id maxime, quod malorum rectorum semper major proventus est, quam bonorum, qui æquabili jure cum civibus vivunt. Adeo verum est quod ille dixit, omnes bonos rectores uni annulo facillime inscribi posse.

XVI.

Si ergo bonus civis ad rempublicam vocatus accedere recuset, deest universæ civitati, præsertim si in ejus locum [ut plerumque nescio quo fato fit] malus substituitur.

XVII.

Porro bonus civis dona a Deo accepit, non ut inarescere sinat, sed ut bene collocet. Optime autem collocat, qui usibus publicis dat, dicat, atque dedicat.

XVIII.

Ipsium civis vocabulum docet, civem non sibi, sed secundum Deum patriæ natum esse. Hoc negat, qui patriæ commodis inservire detrectat.

XIX. Civi.

XIX.

Civitas comparatur corpori, cujus singulæ partes naturæ instinctu id agunt, ut corpori bene sit. At corpori bene esse nequit, ubi principes partes officium facere renuunt.

XX.

Qui proin ab omni magistratu alienos se ostendunt, perinde mihi facere videntur, ac vectores, qui oborta gravi tempestate, in navi secure dormiunt. Nam navicula nostra semper in periculoso & procelloso mari jactatur.

XXI.

Cum bono civi ultro deferuntur honores, nemo ferme est, qui providam Numinis curam heic non agnoscat. Si delatos repudias, nihil sane impedit quin dicam, te fato reluctari, & divinam accusare providentiam: quod grande nefas est.

XXII.

Boni civis est, non orare modo, sed etiam arare, id est, rem publicam consilio, & re juvare. Deus nos & oratores, & actores strenuos esse vult.

XXIII.

At enim mihi non vacat, in negotiis publicis versari: curent talia illi, quibus plus otii est. Cur tibi non vacat? quia rei tuæ nimium vacas, & lucro inhias.

XXIV.

Sed privatam vitam publicæ præfero, & fastidit animus quietis amans, in publicum prodire, & Curiam conterere. Tu vero cave, ne sub quietis titulo otio nimium indulgeas, aut privatim  
talie

talia moliaris, quæ te multo gravioribus distringant curis, quam si animum ad rem publicam applicuisses. Neque enim privata vita tam dulcis semper est, ac ejus amasii prædicant. Qui curas fugit, sæpe gravissimas invenit.

XXV.

Verum mihi, simul atque in dignitate versari cœpero, non amplius licet esse pio, & vere Christiano, propter corruptissimos sæculi mores, qui optimum quemque velut contagio corripunt, & a recto seducunt tramite. Tu ergo domi nullas reperis spinas, quarum contactu lædi posses. Ubique profecto peccandi occasiones se ingerunt. Solitaria vita si non externis, saltem internis, eoque periculosioribus, tentationibus obnoxia est; quibus rei publicæ cura sæpe medetur. Sane corruptissimi sint sæculi mores: atqui Deus te vocavit, ut illis obviam eas; & is qui te vocavit, te custodiet, ne inficiaris.

XXVI.

Quid, si honores capebam, & obnixe in id elaborem, ut cives meos quavisumque occasione juvem, ut rem publicam tuear, labantem sustentem, ut leges exacte servem? frustra sum, quia multitudine aliter sentientium obruor. Tu hoc age, cetera Deo committe. Sæpe accidit, ut unius opera, nisu, constantia pristino decori restituatur civitas, de quo jam transactum videbatur. Sæpe in unius sententiam, ita rem dirigente Deo, itur a ceteris, qui longe alia defensuri in Senatum venerunt.

XXVII.

Si res in ultimum adducta est discrimen, pro virili parte civitati opem ferre non recuso. Verum,

rum, mi homo! facilius curatur ægrotus, cum morbus nondum omnes pervasit artus; sero medicina paratur, cum animam agit, Si in ultimo discrimine rei publicæ auxilio venis, tuam, non publicam utilitatem spectas, quia intelligis, te salvum esse non posse, nisi salva re publica. Quanto rectius facies, si operam dabis, ne quid detrimenti res publica nunc quoque capiat? ut appareat, te non rem tuam, sed universæ civitatis agere.

XXVIII.

Ceterum, ne quid universim definiam, ea quæ dicta sunt, animo pio atque prudenti ex Dei gloria, & hominum usu æstimanda relinquo.

F I N I S.

